IRIMBERTUS ADMONTENSIS
Admont, um 1175 Seite 3r
Quelle: http://manuscripta.at/?ID=26352
Copyright: Admont, Benediktinerstift



decet. Verum quia beata uirgo MARIA.
et casta simul erat et fecunda. unguenta
castitatis et fecunditatis eius non bona. non melio
ra erant. sed optima. Ecce iam breuiter annun
tiatione conceptione. et incarnatione pre
notata. consequenter subiuncta est natiuitas.
que non iniuste per oleum designatur. de quo mox
subiungitur. Oleum inquit effusum nomen tuum.
Et bene per oleum natiuitas christi designatur. nam
in ipsa die natiuitatis eius insignum misericordie. quam
uniuerso mundo natus saluator contulit. ri
uus olei de terra manasse refertur. Sed et ea alia
tria in oleo. nato saluatori satis conuenientia.
nam oleum lucet pascit et unguit. Effuso namque
uero oleo. i. nato saluatore domino. lucere. pas
cere cepit et unguere. Ipse enim lux uera que
illuminat omnem hominem. lucem fidei et
ueritatis mundo contulit. ipse tenebras pec
catorum et ignorantie. splendore gratie sue
effugauit. ipse quoque panis uiuus qui de ce
lo descendit. animas electorum suorum cottidie
pascere non desinit. nam corpus et sanguinem
suum in escam spiritalem fidelibus suis contradidit.